



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Tractatus De Fiducia In Deum Plurimas Et Utilissimas pro
vitâ spirituali instructiones Continens, Præcipue Ad
Obtinendam magnam animæ quietem, & afflictiones
quascunque ingenti cum solatio & fructu ...**

Dusault, Nicolas

Coloniæ Agrippinæ, 1660

§. 1. Necessitas naturæ divinæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50333](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50333)

„Domine disperge illos in veritate tua & reg-
 „nabis in me, quia tu es ipse Rex meus &
 „Deus meus. Ita S. Bernardus non minus o-
 „leganter quam piè. Hujusmodi considera-
 „tioni minimum semel quotidie vacare quæ-
 „que deberet.

CAPUT II.

Secundum medium conservandi Fiduciam
 in Deum, considerare naturam creatu-
 rarum nihili instar esse ad
 divinam.

§. I.

Necessitas Divina natura.

DOcent Theologi quod duo hæc verba
 quibus profertur hæc enuntiatio: Deus
 est, unum idemque significant; quia si pro-
 priè & verè loquamur, nihil est, nisi Deus.
 Vndè scitè S. Anselmus infert contra insipientem
 qui dixit in corde suo: *Non est Deus*, eum
 contradixisse sibi, nam vox, Deus, significat,
 est, & vox est, significat Deum. Quare ò in-
 felix & insipiens cum sacrilegâ cogitatione
 tua blasphemans negas Deum esse, affirmas
 Deum esse & negas esse; pronuntiando enim
 Deum, dicis esse, & negando esse, nomen Dei
 illi eripis; contradictoria ergo loqueris &

destruis quod astruis & astruis quod destruis. Hanc ob causam notarunt quidam quod solus Deus absolute dicatur Verbum, quæ vox lingua Hebraicâ sonat ESSE, vel Rem, quia in esse suo continet res omnes possibiles. Et S. Hieronymus in epistola ad Marcellam ostendit solum Deum proprie esse, quia præter illum nemo est qui habeat esse per essentiam, aut qui aliquando non fuerit aut non debuerit esse: in cuius comparatione Esse nostrum, nihilum est. Isthoc est argumentum quod hoc capite proposui explicandum, ut eo persuadeam lectori praxin solidæ & sinceræ in Deum Fiduciæ.

§. II.

Prima comparatio Divina essentia cum essentia creaturarum.

Brevem sed sublimem dedit quodam tempore instructionem Christus Dominus S. Catharinæ Senensi cum eam pro more suo per familiariter inviseret & alloqueretur in hunc modum: Filia mea, noveris, quod Ego sum qui sum & tu es quæ non es. Quibus verbis quæ hic paululum extendenda sunt, significare illi voluit divinus Magister, ut consideraret ipsa secum attentius quid esset, suæque naturæ fundum penetraret & fines circum-